



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Protestantes Christianis laborantibus saepe auxilium denegarunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

alia Christianis ne contra Turcas arma ferrent auctor esset; sperans, novum hunc esse Prophetam, a Deo Mahumetis precibus & intercessione in id summum, ut viam ipsi ad reliqua Christiani orbis occupanda sterneret: Germanum hominem civem Hagiensem, qui aulam ipsius sequebatur (hunc Episcopus Rurmundensis, idem narrans, ad Solimannum ab ipso Luthero missum, velle videtur) ad se vocavit, & quis ac qualis esset ille Lutherus de quo tam multa dicerentur percontatus est: quot annos esset natus, quae ipsius esset doctrina, &c. in primis vero mirum ipsi videbatur, immo miraculi loco habebat, quod non iam dudum à Pontifice & Imperatore è vivis esset sublatus. De quibus singulis cum ille respondisset, hominem scilicet esse tum temporis ferè quinquagenarium; ac simul ingens illud atque atrox inter Christianos ab hoc monacho proleminatum dissidium exposuisset: Solimannus exclamans: *O magnum, inquit, virum! qui Christianam Republicam brevi, opinor, ad ruinam impellet. Atque utinam ille aliquanto esset iunior! Si mea quidem vellet uti opera, bonum me & liberalem dominum experiretur.* Ajunt, quum hæc Solimanni verba Luthero narrata essent, eum signo crucis manu facto, exclamasse: *(d) Ah! à tali & tam liberali domino custodiat me Deus!* Unam tantum rem in Lutherana religione Turcæ displicuisse Erasmus ait, quod nimirum velut individuas comites rebelliones & seditiones haberet annexas, quæ tandem victos & victores simul perdant,

*uno totamq; sepulcro
Contumulent patriam.*

Hinc etiam Solimannus sapiens ceteroqui Princeps, ut Hungarica testatur historia, (e) quum accepisset Lutheranos in Transylvaniam, à se nuper occupatam, irrepere, Isabellam reginam, cuius protectionem contra Ferdinandum regem susceperat, monuit, ut si unà cum filio Ioanne bona sua uti velit gratia, istos Nova religionis homines ex omni ditione sua quamprimum expelleret. Nolebat enim perniciosam fementem alibi quam in hostium suorum arvo fieri ac succrescere; quamvis utraque religio nimirum sua & Lutherica affinitatē aliquā inter se habeat, ut alibi ostendam.

V. Illud sane citra mendacium negari non potest, dissidia à Luthero excitata Turcarum res multum promovisse, qui eiusmodi occasionibus non neglexerunt. Et quemadmodum Ro-

manum Imperium nulla res magis ad summum illam supra omnes ceteras gentes magnitudinem evertit, quam domesticæ aliarum Gentium seditiones & discordiæ, quæ externæ potentiae fores aperiunt, sic Orthomanicum Imperium ad eam quam nunc videmus & timemus potentiam, per schisma hoc & dissidium religionis præcipue gradum sibi fecit. Nam post Rhodum Christianis eo tempore quo Lutheristorum mundum perturbare incipiebat, (f) ereptam, hoc vel in Christianitatis maritimo everso propugnaculo, alterum quoque terrestre, florentissimum nempe Hungariæ regnum, periclitari statim cœpit, adeoque brevi hostis omnium immanissimi prædæ & libidini fuit relictum. Qui miserabile Hungariæ excidium literis consignarunt, Luthero magnam eius culpæ partem imputant: siquidem Christianis Principibus inter se de nova Lutheri doctrina dimicantibus, Turcæ non solum ultra centum quinquaginta Christianorum millia partim ferro trucidarunt, partim in morte peiorem servitutem adduxerunt, verum etiam Budam, Belgradum, Albam Iuliam, & alias opulentissimas quondam vrbes in suam redegerunt potestatem (g).

VI Notum factum est, nec Sleidanus dissimulat, in omnibus illis primis Imperij conuentibus, Protestantes semper protestando protestatos esse, nisi liberum sibi sua religionis permitteretur exercitium, nulla se contra Turcam, quamvis ipsorum caputibus proxime imminerem, auxilia collaturos. Hæc ipsorum Anno M D X X X in comitijs Augustanis vox fuit & protestatio, quæ etiam in omnibus qui deinde celebrati sunt conventibus repetierunt. Immo tum quoque, quando Vienna à trecentis Turcarum millibus obsessa, non Germania tantum, sed & universa Europa in extremo versabatur periculo, Protestantes ociosi tantarum calamitatum Germaniæ, velut extremam aleam tum iacentis, spectatores fuerunt. Quod si ea urbs à Turcis expugnata fuisset, nihil sane erat quod illis obstat, quominus ad Rhenum usque fines suos proferrent, & ferro flammaque omnia popularentur. Transylvaniæ quoque amissionem Lutheranorum seu Protestantium bello acceptâ ferendâ esse, idè Hungaricarum

d Man. lin. Loc. commun. e Bellefor. Cosmograph. olet 79. Tomo. 2. f. Vide Straph. de Luth. inter se concord. folio 419. g Sleidan. libro 18.

rum rerum scriptores testantur. Et nostro tempore Protestantes Maximiliano Imperatori contra Turcam ferre auxilia, & commune cum ceteris Christianis Principibus fedus contra Selimum iniure recularunt, ut idem rerum Hungaricarum auctor scribit, & nos sequenti libro latius ostendemus. Quam multi inter Lutheranos una cum infelici illo Huldérico Hutreno Turcicæ dominationi subesse oprantur, ut tantum omnem Papæ potestatem viderent abolitam! Sanctum nempe hunc zelum discipulus a magistro suo Luthero suserat: à quo Turcica etiam in Polonia & vicinis regionibus superstitio longe lateque fuit propagata. Sed iam tempus est, ut sandapilam ac funestas tedas ei appareamus, cuius doctrina tot homines morti dedit, totque animas æterno, tot regna ac regiones temporali exitio inuoluit.

DE LVTHERI MORTE: DEQUE
summo eiusdem fastu & arrogan-
tia, ac ceteris moribus.

CAPUT. XI.

ARGUMENTUM.

- I. Lutherus Concilium impedire tentat.
- II. In patriam proficiscitur, & subitanea morte opprimitur.
- III. Eius sepultura.
- IV. Eius fastus.
- V. Lutherus nullum unquam fecit miraculum; facere vero conantem quomodo diabolus tractarit.
- VI. Eius contumelia in SS. Patres seu Doctores.
- VII. Quomodo veteres scriptores ab ipso corrupti.
- VIII. Laudes Luthero à discipulis ipsius adscripta.

DVM ex vna parte Carolus Imperator & Ferdinandus Romanorum rex vna cum ceteris Catholicis Principibus vires suas contra Turcam expediunt, ac simul Protestantium conatibus obuiam ire conantur; ex altera parte summus Pontifex Dei in terris Vicarius, ex omnibus Christiani orbis regionibus & angulis ecclesiarum Patriarchas, Episcopos & Antistites Tridentum ad Concilium euocat, ut certum aliquod & irrefragabile contra tot hæreses in Germania & alibi pullulantes decretum fieret ac promulga-

retur; iamque adeo apertis Concilij foribus Anno 1546. totus Mundus eò properat: Lutherus omnium non modo hæreticorum, sed & hæresiarcharum antesignanus, præsentens Spiritum S. qui eiusmodi cõtibus semper præsidere solet, diffinitiuam contra ipsum sententiam pronuntiaturum; ut id impediret, omnem lapidem mouit. Quibus vero ad hoc artibus vsus sit, ex ijs quæ paulo antè dicta sunt, aliquo modo patet. È sequentibus verbis manifestius intelligetur. Ut vero & ipse turbis & dissentionibus, quæ inter discipulos suos ortæ fuerant, remedium aliquod adferret, & in tantâ confusione ordinem aliquem statueret, Synodus aliquot celebrari curauit, in quibus Sacramentorum præcipua causa ventilata, sed frustra fuit omnis illa quauis arte, dolo & vi tentata concordia, Deo nunquam permittente, ut extra sacrosanctum suum tabernaculum vnitas reperiat, sed magis scissuræ factiones & confusio: *Vbi umbra mortis, & nullus ordo sed sempiternus horror inhabitans.* (a) Et verissimum est:

Subiectum est Sathana quidquid non numine plenum est.

Sed Deum immortalem! quas non artes Lutherus & socij adhibuerunt, ut ne sanctum illud Concilium Tridenti indiceretur? quid non conati sunt, ut indictum impediretur aut disturbaretur? in quam non faciem se verterunt, ut efficerent ne quid certi ibi diffiniretur? quoties Protestantes protestati sunt, nulla huius concilij decreta pro validis habituros? Cur quæso? quia à Pontifice Ecclesiæ capite indictum fuerat. Vnde factum est, ut quamuis anno MD XLV. 13. Dec. cœperit, ante tamen annum MDLXIV. Pio IV. Pontifice, decreta eius conclusa non sint & promulgata: in quo nemo Lutheranorum, quamuis non tantum sub fide publica vocati, verum etiam obsolescis eis oblatis essent, comparere ausus fuit. Tantum vero abfuit ut reorum personam sustinere ac culpam deprecari cogitarent, ut etiam inter Doctores, immo inter Iudices sedere vellent. Sed de his in illo libro quo Franciæ schisma expositurus sum amplior erit dicendi locus: ubi ordinem, sessiones, cæremonias & alia huius omnium fere quæ in Europa celebrata sunt, illustrissimi & celeberrimi Concilij explicabo: cuius finis in ipsum, quas tot tantaq; hæcenus misera Francia passa est calamitatum incidit, incitum.

II. Mira

a Job. 106.